

ACTA TRIBUNALIUM SANCTAE SEDIS

Romanae Rotae Tribunal

SENTENTIA DEFINITIVA

diei 27 ianuarii 2000

Nullitas matrimonii ob errorem mulieris in qualitate viri

1. Monica, nata a. 1958, hodie laurea in litteris praedita, docens in scholis, catholica, actrix in causa, cognovit iam in iuvenili aetate Carolum – sex annis maiorem aetate, laurea praeditum, «dirigente S.», catholicum, in causa conventum –, ratione commorationis in eodem pago et occasione aliquarum lectionum repetitionis quas puella habebat.

Insistente Carolo, iuvenes alicui sentimentali relationi initium dederunt cum Monica adhuc frequentabat scholam s.d. mediam-superiorem. Cum autem Monica prosecuta est in studiis apud facultatem litterarum, haud contenta qualitate relationis sentimentalium cum Carolo, instauravit relationem amatoriam cum alio iuvene, quae perduravit solummodo per circa decem menses, abruptam ab eodem, ob rationem, dicit Actrix, non acceptationis limitum in conventibus a parentum mulieris impositis.

Hac in circumstantia Carolus denuo institit annis 1978-1979, et ita resumpta est praecedens relatio. Periodus praenuptialis per quinque circiter annos perduravit, sed sine impetu amatorio, immo cum

quadam interruptione, probabiliter a. 1981, per circiter tres menses habita. Et ita, iam studiis a muliere absolutis, instante viro partes ad nuptias devenerunt, quae celebratae sunt die 6 septembris 1984, intra fines Archidioecesis Taurinensis.

Matrimonium consummatum est, etsi non statim. Per duos annos post nuptias vir aptis cautionibus usus est ad prolem vitandam; tandem, muliere, prolis cupida, instante et insistente, partes posuerunt actus per se aptos ad prolis generationem, at mulier non concepit. Illico Monica sese subiecit examinibus medicalibus ex quibus constabat illam sanam esse in ordine ad procreationem, dum apparuit Carolum esse azoospermia affectum.

Attento quod vir nullam ulteriorem inquisitionem nec curationem perficere voluit, mulier – viro consentiente – recursum fecit ad pluries peractam inseminationem artificialem heterologam, sed frustra.

Non contenta, mulier cum quodam iuvene, Antonio, relationi adulterinae locum dedit, illico ab eo filium petendo, quod ille acceptavit. Ita cito Monica praegnans evadit et anno 1991 peperit filium.

In hoc contextu, iam praecedens haud facilis relatio emotiva inter partes devenit haud tolerabilis, quare partes devenerunt ad separationem, adprobatam a iudice civili die 14 maii 1992.

2. Mulier, cupida consulendi propriae conscientiae, recurrit ad sacerdotem, amicum familiae Antonii, scilicet Rev.mum D.num A.B., tunc vicarium iudiciale alicuius Tribunalis Regionalis in Italia. Ille eam audivit et subito misit ad quemdam advocatum fori ecclesiastici, qui – acquisita etiam peritia privata de statu psychologico mulieris tempore nuptiarum – paravit introductionem huius causae.

Ita Tribunali Reg. Pedemontano, competenti ratione loci contractus et domicilii partis conventae, exhibitus est libellus litis introductorius die 13 iulii 1995, in quo mulier expetivit declarationem nullitatis sui matrimonii ob «errore sulla qualità direttamente intesa della capacità procreativa dell'uomo da parte della donna ricorrente a senso del can. 1097 §2 C.I.C.», atque ob errorem actricis dolo causatum ex parte viri circa eius sterilitatem (can. 1098), necnon ob defectum discretionis iudicii et/vel incapacitatem assumendi essentialia matrimonii onera ex parte eiusdem mulieris actricis.

Collegio constituto, admissio libello et citata parte conventa, die 12 septembris 1995 obiectum iudicii statutum est hac sub formula dubii: «Se consti la nullità di questo matrimonio per errore doloso causato nella donna da parte dell'uomo, a norma dei cann. 1097 §2 e 1098 e, in subordine, per insufficiente discrezione di giudizio della donna, e/o per incapacità della stessa di assumere gli obblighi essenziali del matrimonio».

Instructoria peracta per excussionem partium et septem testium, atque acquisitis nonnullis documentis, mulier, post publicationem actorum declaravit, instantia diei 21 decembris 1995, se renuntiare capitibus doli, defectus discretionis iudicii et incapacitatis assumendi atque petiit ut matrimonium nullum declararetur ob «errore sulla qualità direttamente intesa della capacità procreativa dell'uomo da parte della donna ricorrente».

Supplemento instructoriae facto per alteram excussionem Actricis, peractis peragendis sententia definitiva lata fuit in primo iurisdictionis gradu die 30 maii 1996, edicens constare de nullitate matrimonii, in casu, ob errorem in qualitate viri directe et principaliter a muliere intenta.

3. Actis ad Tribunal Superius seu Reg. insubre transmissis ex appellatione Defensoris vinculi, die 19 decembris 1996 causa remissa est ad ordinarium iuris examen.

Mulieris Patronus quamdam ulteriorem medicam documentationem produxit. Ideo rite omnibus absolutis, die 27 novembris 1997 sententia definitiva lata est in altero iurisdictionis gradu, quae reformavit sententiam primi gradus.

Actrix tamen intra terminum ad Rotam Romanam appellavit. Qua re Exc.mus Decanus Turnum constituit, dum mulier obtulit mandatum procurationis Patrono rotali, quo instante infrascriptus Ponens statuit obiectum iudicii sub sequenti formula dubii: «An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob errorem mulieris in qualitate personae viri».

Brevi instructione suppletiva peracta, per quam etiam plura adducta sunt documenta, rite absoluta phasi discussoria Nobis est hodie solvere causam, de qua supra, respondendo ad dubium modo statutum.

4. In iure. - Matrimonium, magni a Creatore factum et ad dignitatem sacramenti inter baptizatos a Christo Domino evectum, aliter instaurari non potest nisi «foedere coniugii seu irrevocabili consensu personali... quo coniuges sese mutuo tradunt atque accipiunt» (Const. past. *Gaudium et spes*, n. 48). Qua re, causa efficiens matrimonii – considerati uti *in facto esse* – est partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus (can. 1057, § 1), seu *matrimonium in fieri*.

Consensus matrimonialis autem, definitus ope legis uti «actus voluntatis, quo vir et mulier foedere irrevocabili sese mutuo tradunt et accipiunt ad constituendum matrimonium» (can. 1057, §2), fit per

mutuum actum voluntatis unius et alterius coniugis ad normam legis manifestatum in quo altera pars consideratur plerumque uti obiectum materiale, dum matrimonium (consortium totius vitae) est eius obiectum formale. Effectus iuridicos obtinet illud particularissimum *duorum in idem placitum* (inde sub aspectu iuridico matrimonium in fieri pertinet ad cathedriam contractus; cf. J.F. CASTAÑO O.P., *Il matrimonio è contratto?*, in *Periodica de re canonica* 82 [1993], pp. 431-476, passim), dummodo servantur elementa essentialia, matrimonio ex institutione divina propria. Hanc ob rem consensus matrimonialis – sub aspectu iuridico – non est negotium iuridicum simpliciter, sed habet propriam indolem publicam, quae praetermitti non potest, inde pertinet ad cathedriam actorum iuridicorum.

Sine dubio miranda est peculiaritas istius actus iuridici bilateralis in quo eius auctores, subiecta, respectu alterius contrahentis sunt eodem momento obiecta: unusquisque ex contrahentibus est eodem tempore subiectum et obiectum materiale eiusdem actus iuridici. Id nullo modo laedit inviolabilem dignitatem personae humanae, quia perspiciendus est etiam aspectus obiecti formalis talis actus: agitur enim, sub aspectu primarie anthropologico, de mutua traditione et acceptatione profunde personali quae fit ratione coniugalitatis. Dicebat ad rem J. HERVADA: «A me sembra... che ciò che vogliono e devono volere i contraenti sia la persona dell'altro nella sua coniugalità. Devono volere, e questo è l'oggetto del loro atto di prestare il consenso, l'altro come coniuge, secondo ciò che questo significa sul piano della natura... con un atto di indole causale: voler darsi come coniuge e ricevere l'altro come tale, qui ed ora» (*Studi sull'essenza del matrimonio*,

trad. ital., Giuffrè, Milano 2000, p. 288). Inde societas quae hoc modo constituitur est matrimonium, consortium totius vitae.

Ex parte subiecti, seu auctoris actus, affirmari rite potest causam efficientem consensus ponendam esse in voluntate contrahentis (cf. initium can. 1057, §2). Sed non sufficit quaelibet voluntas. Attento quod matrimonium «actu humano... oritur» (Const. past. *Gaudium et spes*, n. 48), requiritur voluntas deliberata, quae praesupponit non solum necessariam agentis libertatem sed ante omnia necessariam cooperationem facultatis intellectivae, quae aliquomodo praecedit facultatem volitivam. Uti docet Doctor Angelicus, «Est autem homo dominus suorum actuum per rationem et voluntatem ... Illae ergo actiones proprie humanae dicuntur quae ex voluntate deliberata procedunt. Si quae autem aliae actiones homini convenient, possunt dici quidem *hominis actiones*, sed non proprie *humanae*, cum non sint hominis in quantum est homo» (S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, q. 1, art. 1).

5. Nostra praesertim aetate frequentius accusatur nullitas matrimonii ob errorem contrahentis. *Nil enim volitum quin praecognitum*, iuxta notum adagium. Res tamen altius perpendi debet quia *error* est per se, scil. qua talis, causa nullitatis matrimonii, uti et cuiuslibet actus iuridici, solummodo cum versetur circa id quod constituit substantiam actus (cf. can. 126: «Actus positus ex ignorantia aut ex errore, qui versetur circa id quod eius substantiam constituit... irritus est»). Talis error vocatur etiam *error substantialis*, quia cadit in illa determinati actus iuridici elementa, quae ad normam iuris pertinent ad eiusdem substantiam. Hoc daretur in re matrimoniali si quis

putaret, ex. gr., celebrare sponsalia cum revera ageretur de nuptiis (*error circa actum in toto suo complexu consideratum*) vel si quis putaret contrahere matrimonium cum Titia, cum revera esset Caia (*error facti circa concretam obiecti identitatem*). In generali actus iuridici theoria alii quoque indicantur species erroris substantialis (cf. G. MICHIELS, *Principia generalia de personis in Ecclesia. Commentarius libri II Codicis Juris Canonici. Canones praeliminaries*, Parisiis-Tornaci-Romae 1955, pp. 653ss.), sed attenta natura consensus matrimonialis in iure canonico matrimoniali ordinarie attenditur solummodo casus erroris in persona (can. 1097): matrimonium enim initur sponte seu sub ductu affectus maritalis, qua re talis voluntas obtinet effectus iuridicos in ordine iuris canonici eo ipso cum sit sufficiens in propria realitate existentiali-naturali, praemissis iure praemittendis.

Extra provinciam erroris substantialis sermo esse potest ex se solummodo de errore accidentali, qui actum non irritat, nisi aliud iure caveatur. Talis exceptio non est tamen praevisa in provincia consensus matrimonialis, nisi quis in hanc cathedram includere vellet, quoad substantiam, errorem dolo causatum, de quo in can. 1098, qui tamen sub aspectu formali cadit primo sub normam generalem can. 125, §2. Inde et hodie Legislatur firmat principium quod «error in qualitate personae, etsi det causam contractui, matrimonium irritum non reddit» (can. 1097, §2, prima pars).

Principium expositum in prima parte praecitati can. 1097, §2 sese refert ad obiectum materiale consensus – qualitas personae, de qua ibi, est enim qualitas alterius partis –, sed idem dicendum est de quovis errore accidentali, uti tali, in consensu matrimoniali,

haud excluso errore circa essentialia matrimonii proprietates vel sacramentalem matrimonii dignitatem (can. 1099), vel circa onera adiecta, vel circa fines subiectivos sibi prefixos et ita porro.

Quis obiicere possit hoc modo valde limitatam apparere applicationem cathegoriae ipsius erroris in causis nullitatis matrimonii. Responsum tamen clare patet: praeter casum erroris dolo causati, scilicet intra limites in can. 1098 statutos, non constat de voluntate Legislatoris ecclesiastici limitandi effectus iuridicos consensus matrimonialis positi a personis iure habilibus.

6. Superius dicta respiciunt relevantiam erroris uti talis, ex se ipso considerati, etsi, per obviam unitatem psychae humanae, influentis etiam uno vel alio modo in ipsam voluntatem (cf. conceptum *erroris antecedentis* et *aequivalentis erroris causam dantis*: U. NAVARRETE S.I., *De sensu clausulae «dummodo non determinet voluntatem» can. 1099*, in *Periodica de re canonica* 81 [1992], pp. 474-477; S. ZVOLENSKÝ, «*Error qualitatis dans causam*» e «*error qualitatis directe et principaliter intentae*». *Studio storico della distinzione*, PUG, Roma 1998, passim). Talis error iuxta generalia iuris principia habet relevantiam solummodo cum versetur circa id quod constituit substantiam actus iuridici (cf. can. 126).

Nihilosecius eundem effectum obtinet etiam error circa aliquod elementum obiective accidentale actus, dummodo subiective euectum sit ad elementum substantiale (ital. «soggettivamente oggettivato»). Hoc autem fieri potest non vi ipsius facultatis intellectivae (etsi nupturiens erronee putet aliquod elementum obiective accidentale sit substantiale), sed vi facultatis volitivae quando nempe subiectum

requirit uti essenziale aliquod elementum obiectione accidentale. Heic non agitur necessarie de conditione proprie dicta, quae revera est alia figura iuridica, sed de intentione tam intensa includenti in obiectum consensus aliquod elementum accidentale ut eadem intentionalitas seu voluntas vim habeat et efficaciam conditionis sine qua non. Psychologice hoc significat tali in casu subiectum nolle actum, nisi comprehendentem illud elementum accidentale.

Nemo est qui non videat quamdam similitudinem talis voluntatis cum voluntate vere et proprie condicionata: sive ob rationem originis (in utroque casu agitur enim de motu voluntatis) sive ob rationem intensitatis intentionalitatis quae includitur in nota efficaciae talis voluntatis (in utroque casu effectum irritantem habere potest solummodo s.d. voluntas actualis vel saltem virtualis, non autem habitualis vel interpretativa). Diversae exstant tamen differentiae inter utrumque statum. In conditione proprie dicta contrahens subicit proprium consensum existentiae alicuius circumstantiae (sive agatur de conditione suspensiva sive resolutive), dum in conditione *sine qua non*, de qua in can. 126, quae et condicio implicita vocari potest, subiectum per se (seu psychologice conscie) non limitat proprium consensum, sed requirit aliquod eius elementum accidentale cum tali intensitate ut illud fiat vere essenziale. Alia est etiam origo psychologica in uno et in altero casu: condicio veri nominis nascitur ex dubio, ideo excludit errorem in suo statu initiali, dum condicio implicita supponit statum certitudinis (saltem in suo statu terminali), ratione erronei iudicii ex parte intellectus.

Hoc unum adhuc forsan utiliter efferri possit: in casu erroris accidentalis, sed recidentis in condicio-

nem sine qua non, et ideo irritantis actum, talis effectus sequitur particularissimam configurationem intellectus et voluntatis. Ratio proxima nullitatis individuanda esse videtur in voluntate contrahentis (ista est enim causa efficiens contractus), ratio vero remota nullitatis – vel cum-causa necessaria – residet autem in intellectu (qui erronee putat obiectum voluntatis implicite revera dari [error facti] vel dari posse [aliquando in errore iuris, ex.gr. circa possibilitatem solutionis vinculi]); sed unum solum nihil efficit quia ageretur vel de simplici errore (in casu defectus intentionalitatis attingentis vim conditionis sine qua non), vel omnino abesset error et res videri possit, si et quatenus, solummodo in ambitu voluntatis, ex. gr. sub capitibus conditionis verae et propriae vel simulationis. Praetermittimus omnino quaestiones ordinis systematici, pertinentes ad doctrinam.

7. Quae modo dicta sunt verbis generalibus de invalidanti errore accidentali recidenti in conditionem *sine qua non* (cf. ad rem R. SERRES LÓPEZ DE GUEREÑU, «*Error recidens in condicionem sine qua non*» [Can. 126]. *Estudio histórico-jurídico*, PUG, Roma 1997, passim), non unam habent applicationem – sub aspectu substantiali – in disciplina canonica consensus matrimonialis. Principaliter agitur de tribus aspectibus specificis consensus:

a) error circa matrimonii unitatem vel indissolubilitatem aut sacramentalem dignitatem si determinat voluntatem (can. 1099): agitur de errore haud relevanti iuris, nisi voluntas sit ita condicionata ut efficaci voluntate praevalet subiectum intendat re vera matrimonium privatum aliqua proprietate essentiali vel matrimonii sacramentali dignitate;

b) implicita inclusio cuiuslibet elementi incomponibilis cum instituto matrimoniali, vel exclusio alicuius elementi necessarii, quatenus eiusmodi voluntati implicitae associatur etiam error vel ignorantia de possibilitate verum contrahendi matrimonium. Figura condicionis implicitae (vel *sine qua non*) una cum figura erroris explicat melius nonnullas facti species quae alioquin per fas et nefas iudicari deberent sub capite simulationis;

c) error circa qualitatem alterius contrahentis, directe et principaliter intentam (can. 1097, §2), de quo prosequetur infra.

De his omnibus cf. studium M. TINTI, *Condizione esplicita e consenso implicitamente condizionato nel matrimonio canonico*, PUG, Roma 2000, passim.

8. Quod attinet specificè ad errorem circa qualitatem alterius partis, a voluntate intentam ad instar condicionis sine qua non, revera distingui debet ante omnia inter positivam possessionem qualitatis desideratae et absentiam qualitatis indesideratae.

Ultima hypothesis evidenter multo rarius accidere potest quia in consensu matrimoniali voluntas ex natura sua tendit ad alterum coniugem uti obiectum positive intentum. Sed excludi non potest casus in quo quis ita abhorret ab aliqua qualitate futuri coniugis (puta ex. gr. aversionem erga morbum s.d. «aids» ex parte personae cuius genitores mortui sunt causa istius morbi) ut radicitiùs nullo modo ligare sese vellet cum persona tali qualitate praedita. Certo certius his in casibus ad nullitatem matrimonii declarandam non sufficit sola aversio, etsi intensa, relate ad aliquam qualitatem indesideratam, sed invictis argumentis constare debet de vera voluntate non contrahendi – etsi implicita – cum tali persona et quidem

voluntate attingenti, quoad eius intensitatem, gradum proprium condicionis sine qua non.

Prima hypothesis, intentio scilicet directa versus aliquam qualitatem quae in possessione est alterius coniugis, facilius cohaeret cum consensu matrimoniali, attamen solummodo in gravioribus omnino casibus loqui possumus de nullitate consensus absente qualitate optata. Hoc accidit enim in casu intentionalitatis ita directae ad illam qualitatem ut ea fiat subiective elementum omnino essenziale (sensu philosophico ideoque et iuridico), scil. quod praeteriri non potest (sensu potius psychologico, cf. ital. «imprescindibile»), sine quo contrahens revera non iniret determinatum matrimonium: notetur, heic non agi de voluntate interpretativa, sed de vera voluntate, saltem virtuali, quidquid est de possibilitate eius probationis. His positis, facilius patet cur hi casus diversimode collocabantur a doctrina anteriore: specificè tempore efformationis Codicis Iuris Canonici a. 1917 ponebantur intra vitia voluntatis (cf. U. NAVARRETE S.I., *Attuali problematiche in dottrina e giurisprudenza circa il c. 1097*, in *Quaderni Studio Rotale*, VII, Roma 1994, p. 74; compendium evolutionis historicae istius quaestionis praebet idem Auctor in suo studio *Error circa personam et error circa qualitates communes seu non identificantes personam [C. 1097]*, in *Periodica de re canonica* 82 [1993], pp. 641-654; cf. etiam M. HILBERT S.I., *Error in qualitate personae [C. 1097 §2]*, in *Periodica de re canonica* 87 [1998], pp. 411-433). Quod attinet autem ad rationem nullitatis ex parte subiecti, illa inspicienda esset his in casibus in defectu elementi subiective essentialis in obiecto materiali consensus.

Norma generalis can. 126 de «actu posito ex ignorantia aut ex errore, qui... recidit in condicionem

sine qua non» obtinuit particularem applicationem in legislatione vigenti in secunda parte can. 1097, §2 («Error in qualitate personae... matrimonium irritum non reddit, nisi haec qualitas directe et principaliter intendatur»). Hoc modo Legislator suam fecit sic dictam tertiam regulam S. Alphonsi M. de Liguorio («Si consensus fertur directe et principaliter in qualitatem, et minus principaliter in personam, tunc error in qualitate redundat in substantiam»: *Theologia Moralis*, lib. VI, tr. VI, n. 1016). Nemo est qui non videat diversitatem formulationis: can. 126 sese refert ad mechanismum condicionis *sine qua non* ad designandum obiectum erroris irritantis, dum can. 1097, §2 respicit qualitatem directe et principaliter intentam.

Attamen ratio nullitatis parum differt, quia defectus qualitatis in altero contrahente in quam dirigitur directe et principaliter voluntas subiecti, secumfert nullitatem consensus ratione defectus obiecti subiective principalis consensus, quod *a fortiori* eundem effectum sortitur ac defectus elementi subiective essentialis in obiecto materiali consensus, de quo in secunda parte can. 126. Notetur quod minime sufficit statuere rationem nullitatis, de qua in can. 1097, §2, provenire ex defectu obiecti integralis consensus. Multa enim unusquisque ex contrahentibus intendere potest in altero quae obiective desunt, sed hoc non afficit validitatem matrimonii, nisi in casu gressus fiat ab errore mere incidentali ad illum substantialem, scilicet subiective substantialem.

Magis quam in differentia inter praecitatas formulationes sistendum est potius in specificitate can. 1097, §2 pro consensu matrimoniali. Haec formulatio optime cohaeret cum realitate psychologica nupturientis errantis: ille ordinarie non percipit dimen-

sionem iuridicam consensus matrimonialis et altera ex parte init foedus matrimoniale cum altera persona ratione iudicii pratico-practici, existimando matrimonium cum altera persona uti bonum hic et nunc persequendum, quod fit virtute alicuius qualitatis intentae in altera parte voluntate praevalet. Sed aspectus specificus normae can. 1097, §2, non significat exclusivitatem eiusdem normae quoad consensum matrimonialem in materia erroris invalidantis relate ad qualitatem alterius contrahentis, quia *a priori* excludi non possunt casus talis erroris subiective essentialis qui magis cohaerent cum secunda parte can. 126.

Quod attinet ad consecutaria ordinis processualis unius vel alterius formae erroris irritantis, habentis uti obiectum aliquam alterius partis qualitatem cum necessaria intensitate voluntatis intentam, semper invocandum est caput *erroris qualitatis*. In discussione et disceptatione causae videndum est quatenus sit norma specifica in casu applicanda iisdem manentibus principiis in ordine ad phasim instructoriam processus.

9. Quid autem dicendum, si obiectum erroris non est qualitas alterius partis, sed possibilis consecutio alicuius finis a contrahente peculiariter desiderati? Hoc in casu non potest sic et simpliciter applicari can. 1097, §2, etsi ageretur de fine directe et principaliter intento, seu voluntate praevalet respectu ad fines primarios, quia evidenter talis error non vertit erga alterius partis qualitatem quae pertinet ad provinciam obiecti materialis consensus. Cum deficiat norma specifica, immediatae applicationis, necesse est vertere oculos ad normas generales de actibus iuridicis.

Sensu valde amplo proposita quaestio examinari posset primo loco sub luce causae actus iuridici. Causa,

autem, subiective seu ex parte agentis considerata, intelligi potest uti «*ratio iuridica proxima seu directa*, momento, quo actus ponitur verificata, *propter quam agens ponit actum iudicum determinatum*» (G. MICHIELS, cit., pp. 584s.). Sed ratio iuridica, excludens «*varias rationes, fines seu motiva personalia mere subiectiva, ab agente de facto intenta eumque ad actum ponendum impellentia*» (*ibid.*, p. 585), sumebatur plerumque in consensu matrimoniali sensu finis operis: hoc saltem vigente Codice Piano-Benedictino; de applicatione conceptus causae iuridice ad matrimonium sub luce CIC 1983 cf. A. STANKIEWICZ, *De causa iuridica foederis matrimonialis*, in *Periodica de re morali, canonica, liturgica* 73 (1984), pp. 220-234. Inde finis personalis, uti talis, ordinarie non influit in validitatem consensus: nec uti causa finalis, quia «*si dispositio fiat propter aliquid futurum, non causa resultat sed modus, qui supponit actum jam esse in suo esse totaliter perfectum*» (G. MICHIELS, *op. cit.*, p. 585), nec uti correspondens *causa movens* ad contrahendum impellens, quia ad maximum ageretur de errore «*causam danti*», qui iuxta primam partem can. 1097, §2 nihil efficit.

Re vera, non potest esse aliter, quia quilibet finis subiectivus (finis operantis), fit talis in quantum subiectum sibi proponit illum uti bonum consequendum vel rationem propter quam contrahit cum determinata persona. Hoc optime respondet protensioni versus futurum (ital. «*progettualità*»), propriae matrimonio quod contrahitur. Hanc ob rem finis personalis faciliter fit unum ex motivis ob quae contrahens devenit ad decisionem sese matrimonio iungendi. Et, uti experientia communis docet, multae finalitates in nuptiis propositae numquam capiuntur, quod uno vel alio modo incidere potest in coniugum felicitatem, sed minime inficit consensum prolatum.

Quid tamen, si aliquis finis personalis non est in aestimatione contrahentis solummodo finis, seu elementum ad quod tendit voluntas per consensum matrimonialem, sed ingreditur campum strictius intellectae voluntatis contractualis et assumitur in obiectum consensus? Sub ductu can. 126 statim est affirmandum fines subiectivos pertinere sine dubio ad elementa accidentalia consensus matrimonialis. Qua re simplex error erga eos inducere non valet nullitatem consensus, nisi in casu erroris recidentis in conditionem *sine qua non*. Talis, ergo, error ut vere inducat nullitatem consensus ingredi necessario debet in obiectum consensus et quidem subiective essentialiter ope intentionalitatis.

Nulla difficultas, saltem sub aspectu theoretico seu substantiali, cum agatur de aliquo fine subiectivo, perficiendo per ipsam celebrationem matrimonii, puta v.g. cum persona humilis conditionis per nuptias ingredi intendit in familiam nobilem. Attamen aliter se res habent in casu finis subiectivi nonnisi in futuro, aliquando indeterminato, adimplendi. Potestne talis consensus initialiter pro valido haberi et dein, detecto defectu consecutionis finis propositi uti nullus declarari? Hoc esset evidenter absurdum.

Hae difficultates non minuuntur sed potius augentur cum obiectum specificum talis erroris est firma et praevalens intentio filios procreandi in proprio matrimonio. Clare patet matrimonium habet valorem proprium, independentem a prole fortasse nascitura. Docet enim Const. past. *Gaudium et spes*: «Matrimonium vero, non est tantum ad procreationem institutum... Ideo etsi proles, saepius tam optata, deficit, matrimonium ut totius vitae consuetudo et communio perseverat, suumque valorem atque indissolubilitatem servat» (n. 50).

Altera ex parte difficillime admittebatur in iurisprudencia canonica quaevis condicio de futuro de prole habenda. Sed, praemissis praemittendis, «si autem tamquam condicio sine qua non apponatur, matrimonium erit validum vel irritum, prout proles concipiatur vel minus (coram Staffa, decisio diei 31 martii 1950, *ibid.*, vol. XLII, pag. 207, n. 2)» (coram Exc.mo Pompedda, decisio diei 6 iunii 1997, Romana, A. 64/97, n. 18).

Heic tamen non est agendum de condicione veri nominis de prole habenda. Error erga talem firme sibi propositam finalitatem obtinendam, scilicet prolem e proprio matrimonio, dirigit prospectum quaestionis versus condicionem implicitam, quae non limitat directe efficiaciam proprii consensus nec eum in vita futura condionate rescindi vult, sed potius includit in obiecto consensus aliquod elementum obiective non essenziale: prolem nempe nascituram in proprio coniugio. Talis tamen status psychologicus non longe differt a mente eius qui sane accedit ad nuptias et prae oculis habet bonum prolis. Ideo naturale est intensum etiam desiderium propriam habendi prolem, quo desiderio non verificato nullimode impugnari valet validitas consensus! Inde quis dicere possit quod in casu talis finis subiectivi, nempe prolem e proprio matrimonio reapse habendi, ageretur simpliciter de adimptione finis primarii, scilicet boni prolis.

Res tamen evidenter aptius distingui debent. Una ex parte realis procreatio prolis non pertinet stricte ad bonum prolis, saltem quod attinet ad medullam substantialem boni prolis, necessariam ad validitatem consensus matrimonialis; aliter matrimonium personae sterilis vel – quod est adhuc gravius – personae fertilis, sed post nuptias deliberate prolem ex-

cludentis, retinendum esset nullum, quod – uti plane patet – nullo modo admitti potest. Altera autem ex parte distingui debet utrum singulo in casu agatur de sola etsi vehementi intentione, prolem e proprio coniuge habendi, an agatur de eiusdem partis intentione praevalenti erga matrimonium ipsum. Solummodo hic ultimus casus meretur attentionem in ordine ad quaesitum de validitate matrimonii.

10. Ita lente devenimus ad apicem quaestionis: quid tenendum de errore circa prolem consequendam e proprio matrimonio, non solum intenta sed prorsus praevalenti voluntate?

Praetermittimus quaestionem de illiceitate talis intentionalitatis uti irrelevantis in ordine iuridico substantiali: talis quaestio pertinet vel ad campum moralem vel per reflexum etiam ad ordinem probationis, quia difficilius admitti potest talis voluntas, matrimonio per paradoxum adversans, sed non ita infidenter uti in casu verae et propriae condicionis de prole habenda.

Res ergo ante omnia perspicienda est ex parte rationis proximae nullitatis, seu voluntatis. Nullum dubium quod relevantiam irritantem habere potest solummodo intentionalitas quae ingreditur obiectum voluntatis tali cum intensitate et modo ut fiat subiective elementum essenziale, scilicet quod deesse non potest in casu pro validitate matrimonii, – ideo assumit speciem condicionis *sine qua non* –, vel, ad mentem can. 1097 §2, fit obiectum directe et principaliter intentum, seu requisitum prae persona alterius contrahentis volitum.

Quaestio tamen non ita facilis est solutionis cum perspiciatur etiam ex parte intellectus, seu figurae erroris. Absurdum esset sustinere errorem circa con-

secutionem (ital. «realizzazione», «raggiungimento») alicuius eventus futuri: hoc in casu ageretur potius de spe haud verificata. Ideo elementum erroris – qui incidere potest solummodo in efformationem et prolationem consensus, non autem in eius realizationem – requirit ut tota quaestio, posita scilicet sub *capite erroris qualitatis*, reducat ad momentum consensus. Si in aliquo casu adesset efficax voluntas suspendendi effectus consensus vel vinculum solvendi *si proles non nascatur*, quaestio collocanda esset potius sub capite consensus condicionati.

Cum pressius perspiciatur talis error, patet agi proprie non de prole nascitura sed de capacitate prolem habendi e proprio matrimonio. Supposita enim recta voluntate momento nuptiarum, scilicet saltem non excludendi prolem e proprio matrimonio – aliter ageretur directe de exclusionem boni prolis –, manet vel saltem admitti potest solummodo error de capacitate alterius contrahentis relate ad prolem habendam seu de eius fertilitate.

Res ergo unius et alterius aspectus – dimensionis, scilicet, intellectivae et volitivae – ita hac in facti specie componi potest: nullitas matrimonii impugnati ob errorem circa consecutionem prolis e proprio matrimonio est admittenda quatenus probetur prolem intentam esse directe et principaliter, scilicet prae persona contrahentis, – vel saltem omnimode essentialiter –, et insimul constaret de defectu capacitatis procreativae alterius contrahentis tempore nuptiarum.

11. Posito hoc principio ordinis substantivi necesse est mentionem adhuc facere de aliquibus aspectibus minoris momenti:

a) efferenda est omnino centralis relevantia voluntatis. Non sufficit enim ad nullitatem declaran-

dam magnum desiderium prolis, necque aliquid efficit desiderium tale quod ingreditur in obiectum voluntatis, nisi fit etiam praevalens super voluntate contrahendi matrimonium cum altera persona, vel saltem ponatur uti elementum subiective essentielle voluntatis contractualis. Hoc ultimum saltem sub linea theórica, quia practice – attenta natura consensus matrimonialis – voluntas quasi numquam talem formam assumere potest, nisi in casu saltem implicitae condicionis de futuro de prole habenda;

b) e contra, non est nimis sistendum in aspectu erroris, quia ad normam can. 126 in casu «substantiationis» alicuius elementi accidentalis, quod ingreditur obiectum actus iuridici ad instar condicionis *sine qua non*, eundem effectum ac error habet etiam ignorantia. Non agitur tamen de re nullius momenti!

Ante omnia admitti potest simul adesse posse una ex parte errorem sensu stricto, scilicet erratum iudicium intellectus, circa alterum contrahentem uti «bonum» sensu iudicii pratico-practici in matrimonio persequendum, ideo et iudicium saltem implicitum de aptitudine alterius ad obtinendos fines sibi in matrimonio propositos, – in casu prolis habendae –, et, altera ex parte, ignorantiam circa defectum capacitatis procreativae in altero coniuge. Quod variis ex causis obvenire potest, uti adnotabat una coram Colagiovanni diei 22 novembris 1983: «Error, uti falsa apprehensio, induci poterit sive ex ambiguitate ipsius obiecti... in quo coexistunt apparentiae illarum qualitatum, et obiectivus defectus earum... sed ad hanc falsam apprehensionem ducere potest “morbida condicio psychologica”, cognoscentis ideo et volentis, passio nempe, “idealizatio”, “fabulatio”, suggestibilitas... Sic haberi poterit nexus inter adspectum subiectivum errantis et ad-

spectrum obiectivum erroris qualitatum personalium in comparte principaliter vel maxime intentarum» (RRDec., vol. LXXV, p. 659, n. 14).

Nihilosecius probationem irritantis erroris qualitatis, modo explicati, excludunt error concomitans vel immo dubium. Si quis revera inivit matrimonium detecto ante nuptias defectu capacitatis procreativae in altera parte, evidenter non ita magni fecit prolem ex proprio coniuge! Idem dicendum est de dubio circa capacitatem procreativam alterius contrahentis: nullo modo agi potest de voluntate praevalenti de prole habenda;

c) notetur in prospectu capitis nullitatis, modo descripti, positi intra limites erroris qualitatis, consensus esse validum vel nullum momento eius prolationis. Posterior defectus prolis optatae et detectio infertilis conditionis alterius coniugis habent relevantiam solummodo in ordine cognitionis et iudicialis probationis, sed non constituunt nullitatem matrimonii;

d) si autem proles revera nascatur, inquirendum est evidenter quamnam ob rationem. In omni casu superveniens adquisitio capacitatis procreativae est res potius facti quam iuris: ulterius est enim indagandum utrum tempore contractus matrimonialis ageretur solummodo de difficultate transeunti et sanabili, an de vera incapacitate procreativa miraculose forsan superanda (uti olim dicebatur de impotentia coeundi), nisi proles revera concipiatur alio modo, scilicet non ex proprio coniuge. Intra eosdem terminos ponendae sunt disquisitiones de s.d. inseminatione artificiali homologa vel et heterologa: praetermissis enim aspectibus moralibus istius quaestionis, causa nullitatis matrimonii iudicanda est intra ambitum voluntatis contractualis coniugis errantis;

e) particularis configuratio erroris relevantis de prole habenda e proprio matrimonio, – quae reducitur ad verificandum an constet de effectiva voluntate praevalenti, ingredienti in obiectum consensus, et eodem tempore an constet de errore circa capacitatem procreativam alterius contrahentis –, ponenda est sub aspectu processuali intra limites capitis erroris qualitatis, iudicandi scilicet ad normam can. 1097, §2. Nihil interest, si in aliquo casu applicari debuisset potius can. 126 de errore qui recidit in condicionem *sine qua non*, quia eadem est ratio legis; canon enim 1097 §2 habendus est sub aspectu substantiali uti applicatio normae generalis, in can. 126 statutae, ad consensum matrimoniale.

Certo, termini adhibiti in secunda parte can. 1097, §2, non respondent explicite facti speciei erroris de possibilitate filios habendi e proprio matrimonio, cum exprimant legem in genere, ideoque etiam citatus canon intellegendus est in sua significatione iuridica, non autem simpliciter uti descriptio alicuius situationis de facto. Hoc valet multo magis in iudicanda validitate consensus matrimonialis, ubi praevalenter iudex canonicus applicare debet ius naturale, etsi a Legislatore in forma legis positivae formulatum.

Non aliter est Nostro in casu relate ad applicationem normae propositae, quia differentia inter obiectum voluntatis (prolem praevalenti voluntate intentam) et errantis intellectum (de capacitate procreativa alterius partis) originem habet in applicatione viae tutioris, scilicet firmae reductionis totius quaestionis ad momentum prolationis consensus, praetermissa possibilitate rem videndi, si casus ferat, sub capite condicionis.

12. Conclusiones ad quas pervenimus, relate ad principia iuris substantivi in casu applicanda, non distant a via hucusque trita in H.A.T., quae applicavit sine difficultate can. 1097, §2 aliis in casibus huius generis. Hanc affirmationem debemus, tamen, praecisare.

Aliquando in ipso obiecto iudicii statuebatur agi de errore partis actricis circa capacitatem procreandi ex altera parte, directe et principaliter intentam (ex. gr. coram Boccafola, decisio diei 18 octobris 1990, Campisane., A. 108/90, n. 6; cf. RRDec., vol. LXXXII, p. XXI). Quae specificatio, immediate facta in ipso decreto concordationis dubii, ordinarie non applicatur ob rationes ordinis processualis: obiectum iudicii in causis nullitatis matrimonii debet indicare petitum (nullitatem matrimonii) et causam petendi (caput nullitatis), non autem legem in casu applicandam vel facti speciem concretam invocati capitis nullitatis. Haec omnia indicari debent in libello litis introductorio (cf. can. 1504, n. 2), sed non in obiecto litis ne limitetur libertas phasis discussoriae (quoad ius applicandum) ideoque et decisoriae, necque – in casu exitus negativi talis iudicii – aperiatur facilis via novae introductionis causae ob aliam facti speciem erroris qualitatis: positive loquendo, generica indicatio petiti et iuridice intentae causae petendi cohaeret cum oeconomia iudicii et stimulat responsabilitatem partis interesse habentis in factis adducendis.

Quaestio specifica, tamen, Nostro in casu attinet modum iudicandi causas nullitatis matrimonii, in quibus non ipsa capacitas generativa adducta est uti obiectum directum erroris, sed potius error circa possibilitatem habendi filios e proprio matrimonio.

Nonnullae sententiae *directe applicare videntur* can. 1097, §2 (cf. ex. gr. coram Civili, decisio diei

20 novembris 1997, Baren.-Bituntina, A. 121/97, n. 14; coram Pompedda, decisio diei 19 novembris 1998, Radomen., A. 117/98, n. 12; coram Defilippi, decisio diei 10 novembris 1999, Reatina, A. 126/99).

In aliis fit quidam *transitus* ab *intentione* prolem generandi in *qualitatem* foecunditatis alterius partis. Ita in una coram Colagiovanni diei 12 iulii 1994 dicebatur: «vir sibi principaliter proposuit prolem generandi ex matrimonio ideo mulierem ducere voluit quae foecunda esset» (Romana, A. 52/94, n. 9a, etiam n. 20). Vel in una coram Giannecchini diei 4 martii 1994 sat ample intellegebatur «qualitas» de qua in can. 1097, §2: «...qualitatem conventae generandi filios directe et principaliter intentam fuisse...» (RRDec., vol. LXXXVI, p. 140, n. 9), posita dein aequalitate inter desiderium filios habendi et aptitudinem ad prolem ex parte alterius coniugis: «...desiderium prolis utpote qualitatem in uxore directe et principaliter intentam, seu aptitudinem ad prolem...» (*ibid.*, p. 140, n. 9).

Aliae, denique, decisiones magis directe aggressae sunt medullam quaestionis, solvendo eam per cursum ad mechanismum *medii ad finem necessariii*. Talis solutio clarissime patet in decisione coram Huot diei 24 novembris 1987, etsi ibi agebatur solummodo de facti specie simili: «Si quis autem primo et principaliter vult creationem familiae christianae cum prole et virum ad hoc aptum eligit, non hunc virum directe et principaliter sed virum his qualitatibus ditatum intendit. Intentio primo et principaliter fertur in familiam christianam tanquam finem et in virum aptum tanquam medium ad finem vel potius in qualitates ad hunc finem obtinendum necessarias» (*ibid.*, vol. LXXIX, p. 659, n. 33). Eodem sensu cf. amplis motivis ornatam decisionem

coram Palestro diei 22 maii 1991 (*ibid.*, vol. LXXXIII, pp. 314-330, praesertim p. 321, n. 7).

Quaedam diversitas aspectuum particularium seu diversae viae quibus processit iurisprudencia rotalis in applicatione can. 1097, §2, hac in facti specie, optime explicari potest attentione posita ad restrictum ambitum applicationis can. 1097, scilicet ad obiectum materiale consensus matrimonialis, qua re – cum agatur de finibus subiectivis matrimonii – stricto sensu necesse est recurrere ad normam generalem can. 126, quae, nulla violentia facta in facti speciem propositam, permittit rite considerare voluntatem contrahentis (id est filios procreandi e proprio matrimonio) et simul aestimare obiectum erroris ad mentem can. 1097, §2, scilicet relate ad capacitatem procreativam alterius partis momento prolationis consensus.

Rite, enim, «aestimatio subiectiva nubentis, qui ignorat defectum qualitatis directe intentae in comparte quique seipsum pro certo habet aptum atque idoneum ad finem persequendum, in subiecta materia est praevalens et dominans» (coram Palestro, decisio diei 22 maii 1991, cit., p. 321, n. 7), sed «qualitas directe intentae tempore praestiti consensus exsistere debet» (*ibid.*); vel eadem perspicuitate quoad postremum aspectum: «Necessaria... est probatio de defectu optatae qualitatis in persona alterius partis tempore quo matrimonium celebratum est» (coram Civili, decisio diei 20 novembris 1997, cit., n. 12).

13. Quod attinet ad criteria aestimationis iudicialis in casu perficiendae, praesuppositis frequentius in iurisprudencia rotali dictis de necessitate aptae considerationis ipsius qualitatis sive sub aspectu obiectivo sive sub aspectu subiectivo (cf. ex. gr. coram Fun-

ghini, decisio diei 28 novembris 1990, RRDec., vol. LXXXII, pp. 815s., n. 3; coram Stankiewicz, decisio diei 13 decembris 1990, *ibid.*, vol. LXXXII, p. 852, n. 11), maximi momenti sunt criteria aestimationis psychologicae status mentis praesumpti errantis, praesertim *criteria aestimationis et reactionis*.

Probatio directa, constructa scilicet per declarationem proprii habitus mentis ex parte praesumpti errantis, sive iudicialiter sive extraiudicialiter factam, etsi testibus fide dignis confirmatam, constituit solummodo principium seu initium probationis. Homo est enim ens rationale, quamvis haud rare contradictorium in suo mundo interiore. Ideo non solum declarationes partium et testimonia testium sed etiam omnes causae circumstantiae perpendendae sunt «praesertim ad acclarendam aestimationem subiectivam qualitatis in mente et voluntate errantis; scil.: quanti eam habuerit ante nuptiarum celebrationem et quomodo sese gesserit post initum matrimonium, cum primum detexerit defectum praeoptatae qualitatis in comparte» (coram Defilippi, decisio diei 10 novembris 1999, Reatina, A. 126/99, n. 15).

Eandem ob rationem – attenta relevantia intentionalitatis hoc in nullitatis capite – magnae utilitatis est etiam *comparatio* inter *causam contrahendi* ex parte errantis et *peculiariter volendi* ex parte eiusdem contrahentis. «Quaedam vero analogia cum requisita proportionata ac gravi causa in simulatione servanda est. Matrimonium grave est negotium, quod infici nequit ob futilis vel nugatoriae, indirectae vel mere accidentalis dotis absentiam» (coram Funghini, decisio diei 28 novembris 1990, RRDec., vol. LXXXII, p. 816, n. 3). Altera ex parte vehemens amor erga compartem ducit ad rite contrahendum et minus probabilem facit voluntatem quae sibi praefi-

geret finem subiectivum extra obiectum formale matrimonii et quidem voluntate praevalenti. «Qui enim contrahit germano amore coniugali impulsus, sponte, instinctu naturali ductus, intendit sibi in celebrando matrimonio donationem-acceptationem perpetuam et exclusivam in ordine ad fines proprios societatis coniugalis» (U. NAVARRETE S.I., *De sensu clausulae*, cit., p. 484).

14. **In facto.** - Antequam procedamus ad examen meriti causae, oportet animadvertere quaedam de aspectu processuali, scilicet *de formulatione obiecti iudicii* in causa, de qua supra.

Uti constat ex superius facta expositione itineris processualis, nullitas matrimonii, de quo in casu, accusata est in libello litis introductorio ex quattuor capitibus nullitatis, quorum princeps respiciebat indubie errorem mulieris erga qualitatem viri, individuatum uti «capacità procreativa dell'uomo» vel et sterilitas, si perspiciatur obiectum praesumptae actionis dolosae ex parte viri. Hoc modo intellexit, evidenter, quaestionem Praeses collegii, si reduxit ad unum errorem qualitatis et errorem dolosum («Se consti la nullità di questo matrimonio per errore doloso causato nella donna da parte dell'uomo, a norma dei cann. 1097 §2 e 1098»). At talis «oeconomia» expressionis omnino non placet: claritatis causa capita nullitatis distincte et expresse indicari debent. Etsi adhibeatur expressio erroris dolosi, potissime sensu erroris dolo causati, talis locutio non indicat univoce caput nullitatis, quia applicari posset sive ad errorem qualitatis (can. 1097, §2) sive ad caput doli (can. 1098).

Quod attinet ad ipsum caput erroris qualitatis, capacitas procreativa viri inclusa est expressis verbis in formula dubii sive in prima sive in altera instantia,

sed omissa hac in instantia. Ad mentem animadversionis iam factae in parte *in iure*, talis specificatio, etsi possibilis, non videtur opportuna ob rationes ibi expositas. Inde magis generica formulatio dubii adhibita apud H.A.T. («An constet de matrimonii nullitate, in casu, ob errorem mulieris in qualitate personae viri»), quae evidenter non intendit mutare obiectum iudicii hucusque prosecuti in praecedentibus instantiis.

Sine dubio, etiam apud Rotam Romanam viget quoad substantiam principium in can. 1639, §1 statutum, scilicet, de non ampliando obiecto iudicii, salva possibilitate admissionis novi capitis nullitatis tamquam in prima instantia. Attamen sub aspectu formali, cum lex generalis praecipiat in eodem canone quod in gradu appellationis «litis contestatio in eo tantum versari potest, ut prior sententia vel confirmetur vel reformetur sive ex toto sive ex parte», pro Rota Romana valet lex particularis, seu art. 62, §1 NRRT, qui statuit relate ad causas ad H.S.O. delatas: «In causis nullitatis matrimonii formula dubii est: *An constet de matrimonii nullitate in casu*, additis capite vel capitibus». Inde ius et officium apte formulandi caput nullitatis hac in instantia.

15. Adhuc in via quasi praeliminari, sed iam in ambitu meriti causae, videndum est quid tenendum sit *de credibilitate Actricis*. Hoc est enim elementum magni momenti in causis nullitatis matrimonii iudicatis ob vitium vel defectum consensus.

Sententia primi gradus implicite retinuit Actricem uti credibilem, dum sententia alterius gradus, reiectis aliis probationibus, critice animadvertit quod «Le ripetute fecondazioni artificiali [mulieris actricis], la relazione adulterina, la convivenza attuale

non possono lasciare del tutto tranquilli nel prendere le parole delle deposizioni giudiziali dell'attrice come base ex can. 1536, §2 e 1679 per decidere la causa, dal momento che l'attendibilità non è solo una nota soggettiva (buona fede) ma deve comporsi con i parametri di una vita coerente con i principi cristiani».

Praecitata affirmatio non potest tamen admitti uti iacet. Si esset verum principium super quo fundatur, scilicet necessitas plenae cohaerentiae vitae principii christianis imbutae (quando agatur de christianis) ut constare posset de credibilitate, tum fere semper non aliter nisi cum suspicione admitti possent declarationes partium in causis nullitatis matrimonii quando iam vivunt in unione s.d. civili et consulere petunt propriae conscientiae, ne ulterius oculos volvamus ad possibilem operam unius vel alterius partis pro ruptura matrimonii sacramentalis. Qua re admissum est in iurisprudencia H.A.T. quod pars, erga quam moventur incredibilitatis exceptiones, illas «quodammodo repellere potest per suum desiderium assequendi legitimum statum» (coram Fiore, decisio diei 4 maii 1962, RRDec., vol. LIV, p. 197, n. 7). In materia tam subtili difficile est formulare aliquod principium absolutum, sed sub ductu iurisprudentiae communis attente perpendi debent singuli casus, adhibitis criteriis sive intrinsecis sive extrinsecis credibilitatis.

Sub adspectu criterii intrinseci – scilicet cohaerentiae in propriis declarationibus in seipsis consideratis atque relate ad facta vel adiuncta probata – hoc in casu nihil est excipiendum. Actrix, ter iudicialiter audita, semper sibi cohaerens fuit, nihil retractavit, ad maxime quaedam melius explicavit, quod praeterea non necessarie ei tribuendum est, sed forsan

etiam vel potius iudici instructori, si statim non omnia expetivit. Quod omnino frequens est, attento ingenio laboris quem requirunt ordinarie causae istius generis.

Firmitas Actricis melius adhuc apparet in contextu depositionum aliorum, haud excluso viro convento, cuius declaratio, nonobstante quadam animositate inter partes existente, substantialiter coincidit cum dictis ab Actrice, excepta negatione a viro doli sua ex parte.

Quod attinet autem ad criterium extrinsecum – scilicet ad attestaciones credibilitatis – praetermissis iudiciis positivis propinquorum Actricis de eius sinceritate, quod est evidens, magni momenti est declaratio Rev. M., quem Actrix habuit uti parochum proprium ante nuptias. Ille declaravit in scriptis circa Actricem: «l'ho conosciuta da bambina e, fino al matrimonio, ha frequentato la Parrocchia e sempre s'è comportata esemplarmente. Ha partecipato alle attività parrocchiali come catechista e come membro del Consiglio Pastorale parrocchiale». Sensus omnino positivus istius declarationis ex se patet.

Non aliter tenet Rev.mus A.B., qui cognovit Actricem ratione festivi servitii pastoralis: «Ribadisco che l'attrice è persona religiosa, sia per la sua fedeltà alla pratica religiosa (io stesso notavo sovente la sua presenza alla Messa festiva nella chiesa parrocchiale di P.), sia per le sue personali convinzioni».

Idem Rev.mus Testis, qui cognoscebat bene familiam Antonii, quocum Actrix instauravit unionem mere civilem, ulterius adhuc suum iudicium prompsit, quod directe ingreditur meritum istius causae: «Voglio ribadire con forza questo concetto: in Monica era così dominante l'intenzione di avere dei figli, che ella passò sopra alle sue stesse sincere convin-

zioni religiose e morali; passò sopra ai doveri verso Carlo, quando si accorse che questi non poteva darle un figlio, cercando altrove la realizzazione del suo scopo; passò sopra anche alle convenzioni sociali a cui si è più sensibili nei paesi, mettendosi con Antonio, nonostante fosse stato suo alunno e fosse assai più giovane di lei!». Iam haec animadversio, facta hac in instantia, sufficienter respondet ad superius indicatam difficultatem motam a sententia alterius gradus circa credibilitatem Actricis.

Quare possumus annuere promptae asseverationi Patroni partis actricis, quod «non solum... contradictio inter fidem professam et modos sese gerendi mulieris credibilitati non nocet, vero constituit gravissimum argumentum in favorem erroris circa qualitatem directe et principaliter intentam». Pro nunc tamen relinquimus considerationes circa vim probativam credibilitatis Actricis: satis est comprobasse Actricem ea revera pollere. Praeterea nulla datur fundata suspicio circa sincerum desiderium mulieris consulendi hodie propriae conscientiae ob motiva vere religiosa.

16. Directe, nunc, ad meritum deveniendo, oportet ante omnia videre obiectum voluntatis contractualis Actricis, haud obtentum in matrimonio.

Sine ulla dubitatione statim est dicendum *mulierem vehementi desiderio prolem in suo matrimonio exoptavisse*.

Illa iterum hoc declaravit, incipiendo a libello litis introductorio, ubi declarabat de eius «forte desiderio di avere dei figli». Similiter hoc affirmavit in suo primo vadimonio addita etiam quadam ratione: «sposandomi desideravo i figli intensamente e più di uno avendo provato ad essere figlia unica». In suo altero vadimonio illa extollit etiam directe aspectum

maternitatis: «per me la maternità era una cosa che dominava intensamente la mia vita. Per me vivere accanto ad un bambino è una gioia che cerco sempre in tutte le maniere». Et adhuc in novissimo vadimonio, hac in instantia peracto: «Io tenevo molto ad avere figli. Era per me una cosa molto importante».

Hoc confirmat Conventus: «lei i figli li desiderava e più di uno».

Et accedunt quoque testes, qui eam melius novērunt: genitores Actricis et amica Anna.

Firmam voluntatem Actricis, magis quam verba, confirmant facta: repetita conamina inseminationis artificialis heterologae contra eius principia moralia et dein expetiti filii ex relatione extraconiugali, de-nuo contra eius principia religiosa.

Ista est etiam fine finaliter causa rupturae vitae coniugalis, uti resumit pater Actricis: «Secondo me questo matrimonio è fallito perché non hanno potuto avere quei figli che desideravano. Quel problema lì ha rovinato tutto».

17. Attamen magnum desiderium prolem ex proprio matrimonio habendi, desiderium dein vero non adimpletum, non est natura sua motivum sufficiens pro declaranda matrimonii nullitate. Tale enim desiderium optime componi potest cum recta voluntate contractuali, immo omnino cohaeret cum recta intentione nuptiali. Gressus est ideo faciendus ad determinandam relationem talis voluntatis cum illa verum matrimonium contrahendi. Quaeritur scilicet utrum Actrix vehementer desideraret filios simpliciter, uti naturale consecrarium initi matrimonii, an uti finem praevalentem, qui praetermitti non potest?

Ex actis depromi possunt duo aspectus, qui primo ictu oculi sese ad invicem adversant:

a) iam in libello Actrix sustinuit filios habere uti quid subiective pro ea essenziale: «avere dei figli: era una prospettiva che io ritenevo essenziale per il matrimonio». In altero vadimonio hoc ita explicavit: «Per me il figlio era al primo posto nel mio matrimonio: qualcosa cui non intendevo rinunciare».

Rev.mus A.B., qui colloquia habuit cum Actrice ante instaurationem istius causae nullitatis matrimonii ita declaravit in prima instantia: «Riportai la netta sensazione che per Monica la prospettiva di avere figli fosse stata intesa come una priorità irrinunciabile nel suo matrimonio con Carlo». Non agebatur, certo, de aliquo sensu mere subiectivo, quia statim idem Testis attulit motiva vix citatae affirmationis: «perché già durante il fidanzamento aveva rivelato al giovane tale intendimento, ricevendo da lui risposte rassicuranti; sia perché durante la convivenza coniugale il mancato inizio di una gravidanza rappresentò un problema assillante per lei, al punto che... era pervenuta addirittura alla soluzione di procedere alla fecondazione artificiale eterologa... sia perché quando avviò la relazione con Antonio, nonostante la obbiettiva incertezza della situazione, ebbe subito una gravidanza, che si concluse con la nascita di una figlia...».

Sententia secundi gradus cum quadam ironia amovit hanc declarationem («Quanto alle impressioni dell'illustrissimo...»). Qua re sollers hodiernus partis actricis Patronus institit ut praefatus Testis explicaret significationem suae declarationis.

Ita Rev.mus A.B., invitatus ab infrascripto Ponente ad respondendum quaesitis propositis, inter alia ad explicandum sensum expressionis «netta sensazione», ita mentem suam pandit: «Al posto della parola “sensazione”, io avrei dovuto usare la parola “conclusione”. Quindi la frase andrebbe letta: “Per-

venni alla conclusione che per Monica la prospettiva di avere figli fosse stata intesa come una priorità irrinunciabile nel suo matrimonio”. Io pervenni a tale conclusione sia sulla base delle dichiarazioni dell’attrice, sia sulla base dei suoi comportamenti».

Talis conclusio, de vi iuridice essentiali *intentionalitatis Actricis, directae versus filios e proprio matrimonio*, revera cohaeret cum modo sese gerendi Actricis, saltem post nuptias.

Procedamus tamen ad examen difficultatis.

b) Actrix, interrogata in primo vadimonio circa eius formationem religiosam et moralem in generali atque circa matrimonium et familiam in specie, dixit inter alia: «mi sono sposata con l’intenzione di farmi una famiglia con figli come tutti». Quaestio est igitur de recte qualificanda locutione «come tutti».

Talis affirmatio est evidenter aequivoca: significare potest simpliciter voluntatem, omnibus matrimoniis propriam («come tutti»), creandi familiam cum filiis (videatur tenor quaesiti!), quin ostendat melius vim talis voluntatis, vel, e contra, potest indicare vim tributam tali voluntati, quo in casu ageretur de voluntate habituali vel omnino generica, in omni casu non praevalenti vel vere essenziali.

Hanc alteram viam amplexa est, uti videtur, sententia alterius gradus, quae ad sustinendam affirmationem negativam Iudicum («La prova diretta di una volizione diretta e principale della fertilità del marito è molto debole»), attulit primo loco relatum phrasem Actricis.

Ad rem liceat Nobis referre primam partem responsi navi Patroni: «Praemisso quod in nostro italico, et praesertim nord-italico contextu, in quo attingimus s.d. “crescita zero”, amplius loqui nequit de intentione procreandi prolem uti voluntate habituali

(et generica) (ordinatio matrimonii ad prolis procreationem a maiore parte civium, et fidelium, immo et Missam frequentantium, potius consideratur “anacronistica e grottesca”: cf. R. Colantonio, *Valore della presunzione del can. 1101 §1 del CIC*, in AA.VV., *La simulazione del consenso matrimoniale canonico*, LEV 1990, pp. 31-34), verba non debent extrapolari, sed legi in proprio contextu... et Actrix illico post praecisat: “Sposandomi desideravo i figli intensamente e più di uno, avendo provato ad esser figlia unica”... non tractabatur ideo de voluntate generica, habituali, quam omnes tenent».

Praetermissis validis, sine dubio, considerationibus de hodierna mentalitate procreativitati adversa saltem in illa regione, quae tamen nisi indirectum argumentum hac in causa constituunt, oblivioni sane tradi non potest firmum iurisprudentiale principium iuxta quod «dicta testium non sunt cavillanda, nec rigide examinanda, sed intelligenda secundum usum communem, humanum» (A. Card. JULLIEN, *Juges et Avocats des Tribunaux de l'Eglise*, Roma 1970, p. 383). In casu autem difficultatis, ab ipso auctore, in quantum fieri potest, quaeri debet explicatio sensus affirmationis prolatae. Quod et factum est, hoc in casu, in suppletiva instructione.

Ipsa Actrix explicavit Iudici instructori: «Con l'espressione che mi è stata letta – refertur ad “come tutti” – io avevo inteso dire al Giudice che, sia come esigenza mia personale di donna, sia per i principi cristiani in cui ero stata educata, desideravo moltissimo formarmi una famiglia e avere figli».

Responsum ab Actrice datum extollit potius eius subiectivum statum animi sine aliqua referentia ad contextum sociale, ideo non est responsum omnino exhaustivum. Attamen non est ulterius sistendum in

hac cavillosa quaestione, quia unum est certum: affirmatio voluntatis Actricis prolem habendi in proprio matrimonio; obiectio autem mota ex haud clara expressione «come tutti» non est univoca ideoque et nihil probat, ideo non est apta ad inficiandum argumentum, multo magis firmum et in factis fundatum, *de voluntate praevalenti Actricis erga prolem*.

18. Examen hucusque factum voluntatis partis actricis nitebatur potissime in probatione directa. Haec tamen ordinarie compleri debet per probationem indirectam ita ut omne periculum evanescat probationis artificialis (relate ad partem) vel aestimationis erratae (ex parte iudicis).

a) Quod attinet ad *criterium aestimationis*, sine haesitatione est dicendum hoc post nuptias omnino clarissime patere.

Ex concordi depositione partium admitti potest Actricem instituisse post nuptias ut actus coniugales haberentur apti ad filios procreandos, at elapso tempore nulla habita conceptione sese prompte subiicit fastidiosis examinibus gynecologicis et dein, probata sterilitate viri, gravosa conamina perfecit inseminationis artificialis (cf. certificationem medicam). Saltem decies sese volvit in regionem Helveticam; maritus solummodo initio cum ea iter perfecit ob necessitatem manifestandi proprium consensum a lege civili requisitum. Sed clausa etiam hac via, quae sine effectu mansit, in relatione sentimentali instaurata cum Antonio – haud obstante praecarietate illius relationis – instituit ut perficerentur actus ad conceptionem prolis apti (cf. etiam ad rem testimonium eiusdem Antonii). Testis Anna, amica Actricis, animadvertit vim peremptoriam istius desiderii Actricis: «volendo Monica a tutti i costi il figlio...».

Valor tam altae aestimationis prolis e proprio matrimonio, dein saltem a seipsa generandae, melius adhuc apparet relate ad eius contraria principia religiosa quod attinet ad inseminationem artificialem heterologam, et insuper ordinis socialis quod attinet ad filium concipiendum e relatione extraconiugali. Qua re Actrix iam in primo vadimonio non haesitavit sublineare: «Come ho già ripetutamente detto, io ci tenevo quanto mai ad avere figli e mi sembra di averne anche dato la prova con tutto il mio comportamento per avere il figlio a qualunque costo».

Praeterea Actrix iam ante nuptias vere ordinata fuit ad prolem, si hoc argumentum expresse cum Convento tractaverat tempore praematrimoniali (quod et ipse Conventus confirmat) et ad nuptias processit quia «lui [Conventus] mi ha sempre dato la certezza che avremmo senz'altro avuto figli» (sufficiat heic referre solummodo ultimum examen iudiciale Actricis).

Valde probabile est magis diffusum esse interesse Actricis erga pueros, cum illa – hodie magistra in scholis – declaravit quod ante nuptias «sovente ero alla scuola materna per divertirmi e farli divertire».

Inde tuta conscientia concludi potest criterium aestimationis Actricis circa prolem in proprio matrimonio omnino esse perspicuum et favorabile thesi eiusdem Actricis.

b) *Criterium reactionis*, e contra, non est idem manifestum hoc in casu. Navus Defensor vinculi in Rota deputatus censuit quod «practice, criterium reactionis in Monicae modo agendi defecit». Detecta enim sterilitate viri mulier prosecuta est vitam communem et sese subiecit conaminibus foecundationis heterologae, peractis a mense aprili a. 1989 usque ad mensem iulium a. 1990. Res tamen ab imis sunt perspiciendae!

Habito exitu examinis liquidi seminalis, Actrix ita refert de proprio statu animi: «Mi crollò il mondo addosso, mi sentii profondamente ingannata... Ebbi crisi di sconforto... Mi aveva tradito [scil. maritus] anche nelle mie esigenze femminili più profonde». Et prosequitur: «Tuttavia non feci pazzie. La mia formazione religiosa me lo impediva e cercai, nonostante ciò che vivevo dentro, di mandare avanti quel menage e di sognare un futuro di figli, anche se non di figli di mio marito».

Hanc reactionem confirmat mater Actricis: «Quando si scoprì la sterilità di Carlo, Monica rimase molto male. Era molto delusa e diceva che lei senza figli non voleva stare. Si rivolse ai medici e questi suggerirono la fecondazione artificiale».

Ideo habetur ante omnia reactio psychologica Actricis, quae non est praetermittenda attentis eius credibilitate et declaratione matris. Defectus magis perceptibilis reactionis Actricis revera tribui potest responsabilitati mulieris.

Hoc in contextu credibilis videtur novissima explanatio Actricis, in tertia instantia data: «A quel punto di mio marito non mi importava più granché, mi importava di colmare la mia solitudine e di non sprecare gli anni di matrimonio vissuti considerando anche che gli anni passavano. Mi rendo conto che a quel momento misi da parte i miei principi cristiani e ogni ragionevolezza per aver un figlio ad ogni costo».

Qua re, etsi non agatur in casu de aliqua reactione palam ostensa ex parte Actricis post detectionem sterilitatis mariti, nihilominus non sunt reicienda superior relata, quae reapse cohaerent cum thesi actorea.

19. Ex analysi hucusque facta indubie constat de firma voluntate Actricis filios habendi e proprio ma-

trimonio. Insuper perspecta evolutione vitae matrimonialis videtur post nuptias voluntas Actricis filios procreandi apparuisse omnino dominans et sine dubio vere essentialis. Attente tamen est ulterius inquirendum de vera voluntate Actricis momento nuptiarum vel, sub aspectu probativo, iam *ante nuptias*.

Haud obstante admissa credibilitate Actricis, hodiernae eius affirmationes, quibus explanat se iam ante nuptias filios e futuro matrimonio uti elementum omnino essenziale aestimavisse, nonnisi cum cautela sunt admittendae quia sub influxu infaustae experientiae matrimonialis faciliter quis, etiam alioquin credibilis, diffundere (ital. «proiettare») potest hodiernum statum mentis in praeteritum.

Claritatis causa iuvat adnotare superius expositam probationem directam voluntatis Actricis, atque indirectam quod attinet ad criterium aestimationis, respicere tempus sive praenuptiale sive postnuptiale. Ideo non est ulterius sistendum in examine huius argumenti. Videndum est potius de elementis peculiaribus probationis indirectae relative ad periodum ante nuptias, scilicet de *causa contrahendi* et de illa heic denominata uti *peculiariter volendi*.

A) Quod attinet ad modum, quo partes ad nuptias devenerunt, aspectum dominantem tenent partes viri, qui bene aestimatus a parentibus mulieris relationem aliquam sentimentalem incepit cum puella tempore iuvenili, dein post rupturam relationis instabat ut relatio resumeretur et nuptias proposuit etsi conscius erat inter eos verum amorem haud extitisse.

Praedominans et volitiva habitudo viri apparet etiam in rebus non levis momenti, uti ex. gr. in electione domicilii ponendi: Actrix refert quod «Carlo acquistò un alloggio a Torino di testa sua», ubi partes dein solum per unam noctem manserunt.

Actrix retinet Conventum, qui in ambitu laboris altam tenuisse positionem, et suum principale interesse potius in mundo laboris coluisse, intendisse matrimonium cum ea forsitan uti «buon partito» ob rationes ordinis socialis.

Conventus tamen sua ex parte declarat initium dedisse relationi cum Actrice ob sensum amoris erga eam («mi innamorai di lei»), sed ita descripsit subsequentem relationem inter eos ante nuptias: «...non c'era un'intesa totale. C'era una diversità di interessi che ci distanziava a livello intellettuale e a livello di cose che attraevano per cui potrei dire che non c'era un'intesa. Divenne consuetudine tra noi per cui si finì per adattare a questo livello tutta la nostra vita. Ci furono momenti di tensione... In realtà però non volevo perdere Monica che per me era un punto di riferimento».

B) Quidquid est de Convento, Actrix desiderabat utique formare propriam familiam, attamen difficillime dici possit illam virum amavisse, sed potius coluisse cum eo quamdam amicitiam, non autem verum amorem. Hodie sustinet Actrix quod «Riflettendo sul mio sentimento di allora devo dire che da parte mia non era un vero amore. Trovavo in Carlo una forte amicizia e un punto di riferimento fuori famiglia dalla quale volevo evadere».

Qua re intelligitur cur sponsalia interruptit et dein, rebus compositis, sine impetu processit. Paucis verbis pinxit Actrix proprium statum animi in illo tempore: «Più avanti io parlai apertamente a Carlo, dicendogli che non ritenevo opportuno continuare; era meglio lasciarsi. Ma lui ha insistito per continuare e sposarci spiegando che con il matrimonio si sarebbero superate le difficoltà. E io chiusa in quella situazione, non ebbi la forza di decidere e così si andò avanti».

Non distat etiam iudicium parentum Actricis. «Li ricordo assieme – dixit mater Actricis – e non sembravano tanto legati e innamorati. Davanti a noi Carlo si dimostrava molto affettuoso con lei. Ci sono stati momenti di tensione e di litigio; non ho capito il perché».

Accedit etiam testis Anna, amica Monicae: «I due abitavano vicino... Li ho visti assieme e mi sembrò che Carlo fosse un po' staccato».

Partes sunt etiam concordēs in afirmando nullas habuisse relationes intimas ante nuptias. Mulier dicit: «Carlo non mi fece mai la proposta. Io gradivo la cosa per i miei principi».

Mulier sine animi ardore accepavit nuptias a viro propositas. Iam in libello Actrix scripsit: «Io non ero convinta del passo e non mi occupai dei preparativi». Hoc confirmat etiam Conventus: «Monica assecondò, ma senza entusiasmi».

Sed res non mutarunt post nuptias. Ne praeiudicialis videatur declaratio Actricis, satis est referre significativa verba Conventi: «Abbiamo consumato il matrimonio in USA [post decem circa dies a nuptiis celebratis!] e ci fu qualche difficoltà perché mancavamo di esperienza e anche di un certo entusiasmo... tutto avvenne su un piano molto materiale senza una partecipazione affettiva». Et postea «ho portato un modo di vivere non comune. Io per il mio lavoro mi sono trovato nella condizione di assentarmi con molta frequenza e senza preavviso, per cui non era neanche possibile una programmazione di vita di coppia. E questa non è nata tra noi».

Quod confirmat ante omnia mater Actricis: «Vennero a vivere a casa nostra. Carlo era sovente assente per il suo lavoro... Quando erano insieme non ho notato affettuosità tra loro».

Conclusio ex se patet: Actrix acceptavit nuptias a Convento propositas, sed cum haesitatione et sine impetu genuino amoris proprio.

20. Cur tamen Actrix hac in conditione ad nuptias accessit? Ea ipsa ita respondit: «Alla fine Carlo mi convinse e decisi di andare avanti sposandomi».

Logice tamen ponenda erat a Iudice instructore quaestio quomodo Actrix potuit componere suam voluntatem filios e proprio matrimonio habendi cum familia ita fundata sine profundiore affectu et qualitate vitae necessaria pro filiis suscipiendis. Mulier statim explanavit: «Questa decisione non mi mise in difficoltà con il mio desiderio intenso di avere figli anzi mi convinse ancor più a desiderarli perché vedevo negli eventuali figli un crescere di amore tra noi e quindi un successo nel nostro matrimonio».

Altera ex parte neque agebatur de nuptiis omnino invitis, quia iam supra retulimus declarationem Actricis in qua explanabat desiderare filios etiam pro bono ipsius coniugii. Ad rem adhuc alia verba Actricis: «Si noti che, proprio perché ci eravamo sposati senza un vero sentimento di amore, io pensavo e speravo che i figli avrebbero potuto rinsaldare la nostra unione e far nascere l'amore tra di noi». Haec verba explicant tamen potius solum desiderium habendi prolem et nihil amplius.

Nunc relata responsa Actricis directe introducunt ad quaestionem illius particularis volitionis: cur Actrix particulariter desiderabat filios e proprio matrimonio?

Ante omnia illa locuta est de eius exigentiis profundis («mie esigenze femminili più profonde»), cum quibus cohaerebat educatio et quaedam insatisfactio ob eius statum filiae unicae. Sed haec omnia

ad quae natura ducit et recta educatio dirigit, non explicant adhuc in ordine obiectivo ut quis tenderet in filios prae matrimonio vel eos habeat essentielles in proprio matrimonio ad instar condicionis sine qua non. Necesse est ut accedant etiam rationes ordinis subiectivi ut talis desiderium revera admitti possit in foro iudiciali.

Ad rem Actrix ante omnia asserit se Carolo nupsisse, quia aliter nimis procrastinaretur nativitas prolis: «Tra me e Carlo non c'era vero amore, come ho detto. Rompere un fidanzamento avrebbe significato rinviare la possibilità di avere figli in un futuro lontano».

Hoc argumentum, consideratum in contextu magis diffusi desiderii mulieris erga prolem, revera non est praetermittendum. Explicat, insuper, melius rupturam inertiae Actricis versus nuptias.

Attamen in ultima analysi, magis quam ratio considerandi prolem, ratio in seipsa considerata, postulat collationem istius rationis cum causa celebrationis matrimonii. Et revera, haec ultima valde debilis hoc in casu apparet. Ideo maioris significationis est illud desiderium Actricis quod in eius mundo subiectivo primum obtinere potuit locum.

21. Novam adhuc obtinet haec causa lucem ex peritiis extraiudiciali, peracta die 14 iunii 1995 a doct. L., scil. adhuc ante propositionem causae. Patronus exquirit evidenter hanc relationem quia prospiciebat etiam aliquam formam defectus capacitatis ad normam can. 1095 ex parte Actricis.

Doct. L. non examinavit directe quaestionem prolis ab Actrice in matrimonio desideratae, attamen indirecte elementa utilia obtulit relate ad hunc aspectum.

Ante omnia praefata Psychologa in lucem posuit quamdam immaturitatem psychologiam Actricis retrahendam ad qualitatem eius relationum cum genitoribus. Iuxta Peritam «Raggiunti i 18 anni, quando Monica inizia a frequentare Carlo ella appare una ragazza con una identità e un senso di identità totalmente inconsistente, inibita sul piano affettivo e istintuale, affettivamente dipendente dai genitori e sottomessa ai loro voleri... La frustrazione affettiva sperimentata nella relazione con il padre, e la acritica identificazione con il modello materno favoriscono da un lato il mantenimento della dipendenza da lui, nella vana illusione di poterne conquistare affetto e stima; dall'altro determinano la persistenza di bisogni immaturi, narcisistici di appoggio e di riconoscimento, che condizionano profondamente le scelte relazionali-affettive».

Praetermissis aliis elementis, quae in ordine psychologico explicant talem et non aliam evolutionem relationis inter partes, iam ante nuptias et dein etiam post nuptias, — notetur solummodo quod hoc in casu «la donna [scil. Actrix] svolge il ruolo femminile secondo il modello tradizionale, mutuato dalla madre» —, momentosa apparet animadversio Psychologae quod «la preferenza accordata da Monica alla fecondazione artificiale eterologa, motivata esplicitamente con “io sono sana e il figlio voglio farlo io!”, rimanda ad una concezione di maternità in termini di autoaffermazione egocentrica, ed ovviamente non nega il significato relazionale ed affettivo all'interno della coppia. Si potrebbe anche ipotizzare che, attraverso la propria capacità generativa, la donna potesse inconsciamente perseguire una meta di potere e di superiorità sul coniuge, compensatoria dei suoi vissuti coscienti di dipendenza».

Quidquid est de ultima hypothesi, haec existimatio peritalis offert profundiorer rationem momenti tributi maternitati ab Actrice et quidem iam longe ante nuptias.

Actrix, a Convento retenta uti «di un'estrema fragilità psicologica», iuxta Peritam habuit «struttura di personalità fragile, scarsamente integrata, con ridotte risorse di autonomia affettiva, se pure non francamente patologica, come emerge anche dal reattivo di Rorschach».

Facilius ideo admitti possunt affirmationes Actricis quod «per me la maternità era una cosa che dominava intensamente la mia vita. Per me vivere accanto ad un bambino è una gioia che cerco sempre in tutte le maniere» et ante nuptias «sovente ero alla scuola materna per divertirmi e farli divertire».

Iudicis non est opus proprium psychologi absolvere, ideo abstinuimus a qualibet explicatione mechanismi psychici substantis. Satis sit affirmare quod hoc in contextu probatio directe ab Actrice oblata revera profundum fundamentum habet ideo et iudicialiter admitti potest, adiuvantibus favorabilibus criteriis probationis indirectae.

22. In affirmanda vi propriae determinationis Actrix pluries repetit quod *si scivisset* Conventum esse orbatum capacitate generativa prolis vel dubitasset de hac capacitate, ei omnino *non nupsisset*.

Sententia alterius gradus amovit negative has affirmationes «indulgendo [Actrix] in tal modo in una prospettazione di una volontà interpretativa che non può avere valore di prova».

Talis affirmatio Actricis est tamen consideranda in toto contextu probativo.

Bene animadvertit Patronus partis actricis sustinendo quod proposita quaestio non erat supervacanea, quia si mulier affirmasset se, quocumque in casu viro nupturam esse (etsi ille incapax fuisset procreandi), evidenter talis affirmatio valorem habuisset positivum finem causae ponendo. Ideo bene facit iudex, si talem quaestionem ponit in vadimonio, etsi responsum de non nubendo in casu detectionis erroris, per se – scilicet uti adfirmatio separata a contextu probativo – adhuc non constituit sufficientem probationem.

Conceptus s.d. *voluntatis interpretativae* non significat aliquem statum vel intensitatem voluntatis realiter existentis, sed potius meram *interpretationem voluntatis* post nuptias factam. Notetur tamen quod «disqualificativa» qualificatio «voluntatis interpretativae» applicatur aliquando ad modum compendii iuris canonici, validi cum hoc esset *unicum* medium cognitionis determinationis errantis ante nuptias. Non licet tamen remittere sic et simpliciter hanc qualificationem voluntatis interpretativae cum aliae adsint probationes erroris super aliqua alterius partis qualitate directe et principaliter vel saltem essentialiter intenta. Tali in casu non agitur amplius de voluntate mere interpretativa: affirmatio errantis de non contrahendo, si non fuisset error, habet valorem probativum secundarium, quia ulterius qualificat iam aliunde probatam intentionalitatem. Non oportet tamen sistere in vi probativa talis declarationis, quia sub magisterio experientiae vitae faciliter quis hodie aliter interpretari potest propriam vitam antea actam.

Nostro in casu, cum iam pro probata sit habenda firma voluntas Actricis de prole e proprio matrimonio, eius affirmatio «se avessi saputo che Carlo non poteva aver figli non l'avrei sposato, assolutamente»

non est simpliciter reicienda uti *voluntas interpretativa*, sed est admittenda uti ulterior interpretatio ab Actrice facta de propria intentionalitate nuptiali, etsi agatur nonnisi de aliquo elemento probativo, qui iterum firmat probationem iam aliunde habitam.

23. Hucusque pertractatum est *in facto* elementum principale probationis, nempe intentionalitas partis Actricis suo in consensu matrimoniali. Nunc autem procedendum est etiam ad alia elementa essentialia probationis quoad disceptatum caput nullitatis, scilicet ad obiectum erroris et ipsum errorem.

Iuxta principia in iure exposita, obiectum erroris a iudice determinandum non est ipsum defectum nativitatis vel potius conceptionis filiorum, sed defectum capacitatis procreativae viri momento nuptiarum, seu eius sterilitas.

Hoc in casu sterilitas viri sub forma azoospermiae detecta est per s.d. «tests» postcoitales, sed verificata solummodo per examen directum liquidis seminalis Conventi (cf. attestationem medicam doct. T.), quod locum habuit anno 1988, scilicet quattuor annis transeactis post celebrationem matrimonii.

Vir, revera, recusavit se subiicere aliis examini-bus a medico propositis ad melius investigandum de causa talis status. Nullum adest tamen rationabile dubium Conventum iam momento nuptiarum affectum fuisse hac anomalia.

Ante omnia nullum adest indicium causae aptae quae tempore postnuptiali privare potuisset virum capacitate procreativa: nullus eventus traumaticus, nullus morbus alicuius momenti.

E contra, adhuc tempore studiorum vir affectus erat «calcolosi renale» et graviiori subiectus erat curae medicae. Ad rem Conventus: «Avevo circa 21

anni quando si evidenziarono i dolori per calcoli renali. Il mio medico curante... mi inviò all'urologo... che dopo molti esami radiografici disse che non era necessario un intervento... Poi da un mio calcolo si è identificata la natura e quindi mi furono suggerite le diete opportune e quindi ne uscii... soffrivo di una malformazione congenita al rene destro che determinava una modesta idronefrosi», quod est comprobatum in actis per certificationes medicales.

Ipsae Conventus sustinet se solummodo post nuptias, per examen specificum seminis, notitiam habuisse de propria sterilitate. Dein aliquam recepit hypothesim circa originem eius azoospermiae: «Dopo la separazione parlandone in giro con amici medici per capire l'origine possibile della mia sterilità mi fu insinuato che forse poteva essere causata dall'essere stato sottoposto eccessivamente dall'influsso dei raggi X, quando feci le visite radiologiche periodiche per la mia calcolosi».

Quidquid tamen est de hac explanatione, moralium cum certitudine sane admitti potest virum iam momento nuptiarum affectum fuisse sterilitate.

24. Quod attinet ad ultimum elementum probationis, scilicet errorem Actricis circa capacitatem procreativam viri, nullum adest in casu rationabile dubium.

Probatio erroris resultat non solum ex directa declaratione Actricis, sed etiam ex eius modo agendi.

Iuxta concordem depositionem partium, illae iam ante nuptias de futura prole locutae sunt. Actrix insuper sustinet se ad aras accessisse habita positiva assiduatione ex parte viri circa futuram prolem.

Post nuptias Actrix instituit ut actus haberentur apti ad prolem procreandam, sed conceptione haud

habita non fecit difficultatem cum Conventus proposuit ut illa prius sese subiceret examinibus medicalibus ad comprobendam propriam capacitatem procreativam.

Sententia alterius gradus sequentem difficultatem extollit: «va inoltre osservato come l'attrice sapeva che dall'età di ventun anni il convenuto aveva sempre manifestato problemi renali... con conseguente esonero dal servizio militare e nonostante ciò non si trova nella donna, professoressa e prima diplomata all'Istituto magistrale (il cui piano di studi prevede "ex professo" un corso di profilassi e igiene), un benché minimo tentativo di garanzie mediche laddove ella sosterrebbe di aver voluto la fecondità di Carlo "directe et principaliter" ai fini nuziali».

Sed obiectio est revera gratuita. Etsi ageretur de defectu debitae diligentiae ex parte Actricis, hoc minime impediret statum erroris in seipso considerati. At in casu Actrix probavit hac in instantia eam in curriculo instituti magistralis haud habuisse praefatam materiam «profilassi e igiene» (cf. certificationem Instituti). Insuper per peritiam privatam, a doct. E. die 24 septembris 1998 peractam, demonstravit quod «azoospermia... è una patologia assolutamente separata e indipendente dalla malattia renale».

Videatur etiam conclusio peritiae psychologicae doct. L. iuxta quam «ritengo che sia plausibile avanzare l'ipotesi che all'epoca delle nozze Monica presentasse una condizione di immaturità psicoaffettiva tale da limitare fortemente la sua possibilità di effettuare scelte esistenziali importanti in modo critico, consapevole e responsabile».

Verum est primum Patronum partis actricis renuntiassse in prima instantia capiti defectus discretionis iudicii ex parte mulieris actricis, sed omnibus

perpensis omnino excludenda est talis malitia in Actrice quae permetteret Iudici hypothesim vel saltem suspicionem ex parte mulieris circa sterilitatem viri tempore nuptiarum. Ideo standum est pro sufficienti omnino probatione non solum ignorantiae sed et positivi erroris, etsi forsan aliquomodo impliciti, ex parte mulieris actricis circa capacitatem procreativam viri conventi.

«Error implicitus» intellegendus est heic non sensu alicuius particularis figurae erroris, sed simpliciter uti iudicium positivum intellectus de capacitate alterius partis ad contrahendum et consequendas finalitates sibi ab Actrice in matrimonio propositas, quod necessarie includit etiam hoc in casu capacitatem generativam.

Non est tamen ulterius sistendum in his distinctionibus quia iuxta principia superius exposita, revera ad rigorem sufficit etiam mera ignorantia de obiecto intento ad instar condicionis *sine qua non* (cf. can. 126). Error irritans vel et ignorantia excluduntur solummodo statu dubii vel erroris concomitantis. Probata tamen voluntate praevalenti excluditur eo ipso possibilitas erroris tantummodo concomitantis. Ideo etiam hoc in puncto standum est pro thesi actorea.

25. Plures adhuc adduci possent res minoris momenti, quae tamen non mutarent potiora elementa probationis: nec in favorem thesis actoreae, nec contra. Qua re non est ut heic necessarie adducantur.

Non paucae aequivocationes in aestimatione huius casus proveniunt ex applicatione can. 1097, §2 ad litteram facta in praecedentibus instantiis. Hoc indirecte confirmant etiam constataciones sollertis vinculi Defensoris hac in instantia deputati, iuxta quem «etiam si in mulieris firmam voluntatem liberos ha-

bendi possumus credere, tamen haec voluntas in ipso matrimonio clare demonstratur et non extra vel super ipsam physicam partis conventae personam; haec duae res confundi non debent... filii non sunt res optatae». Haec est optima animadversio: textus can. 1097, §2 indicat enim solummodo qualitatem alterius partis uti obiectum irritantis erroris qualitatis. Sed in parte *in iure* ostendimus, altius perpensis rebus, intra limites eiusdem capitis nullitatis aptius, seu maiore cum respectu erga effectivam intentionalitatem partis, considerari posse etiam errorem circa prolem in proprio matrimonio intentam, dummodo constet, uti in Nostro casu, de tali voluntate praevalenti vel essentiali et de defectu capacitatis procreativae in altera parte momento nuptiarum.

26. Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno sententiamus: *Affirmative, seu constare de nullitate matrimonii, in casu, ob errorem mulieris in qualitate viri.*

Romae, in sede Tribunalis Rotae Romanae,
die 27 ianuarii 2000.

GREGORIUS ERLEBACH, *Ponens*
ROBERTUS M. SABLE
AEGIDIUS TURNATURI